

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

III.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

III.

S. D.

Superioribus diebus, amicissime Johannes, scripsi tibi Ysnam, sed rediit nunciatus cum literis nostris, asserens te jam non amplius Ysni agere, sed cum tota familia Argentinam profectum esse, quā de re Princeps meus non mediocriter offensus, omnem fere negligentiae culpam mihi imputat. Visum est autem nostris, te etiam ab Argentinā revocare. Proinde tuam pietatem exoratum velim, ut (si modo honestè fieri posset) relicta Argentina, ad nos redires. Perpendas obsecro, quod operam tuam omnium primum nostro Principi obtuleris, adeoque prior sis vocatus Studgardiam quam Argentinam. Adhæc majori cum dignitate tum fructu serviturus sis ibidem quam alibi, non enim uni tantum Ecclesiae, sed toti provinciae destinarius Episcopus. Quod si verò tibi omnino non fuerit integrum redire, age obsecro, ita rescribas, ut culpam à nobis transferas, in cessatores illos, quorum intererat primum querere regnum DEI. Hæc iterum paucis ad te scribere libuit. Nam reliqua ex prioribus meis & magistratus mei literis accipies. Bene vale. 23. Julii. Saluta meo nomine, D. Paulum Vagium.

Valentinus Vannius, Parochus Studgardianus.

IV.

In Domino cum primis observande Bucere: Binas tuas literas accepi, & per Guntzburgensem & per illum pusionem Augustanum, Tabellarios. Quibus si non modo, ut volebam, pro votis tuis respondero, dabis veniam, mihi nondum *κατακρητισθη*. Etsi tu sanctis tuis paraclesibus multa effeceris, & luxata magna ex parte loco suo restitueris, pro quo pietatis officio ingentes habeo & ago gratias, multo lubentius relaturus, si meae voluntati par facultas responderet. Dominus etiam sancta illa tua vota pro me & meis recompenset largiter. Spero autem & te postremas meas per M. Stroleri filium missas accepisse. Valde gratus erit & pater & filius, si tantum habere possit famulitium, in quo artem suam exerceat. Non est ergo, quod te angas, ut ille per se officinam instituat. Gardeò opt. Arnolds & suos ita tibi curæ esse, Dominus tandem illos reducat & in integrum restituat. Quæ recte de Minderlino scribis & consulis, D. Johanni Heynricho Neythardo, summo Scholarchæ & Aedili exposui. Is verò in tanta ministrorum inopia subinde consulit, ut ex Stipendiatis nonnulli in ministerium vocentur. Ego libere respondeo, aliter mihi imò verò tibi & tui similibus videri Quæ scandala isti *απαγο* juvenes Ecclesiis objiciant, proh dolor experimur indies magis.